



Disputatio politica de educatione & institutione principum

<https://hdl.handle.net/1874/340881>

DISPV TATIO POLITICA
DE
Educatione & Institutione
Principum:

QUAM

Cum Corollariis Anti-Machiavellicis,

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI, L. A. M.
Philosophiae in Alma Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conabitur,

HENRICUS LUDOVICUS WOLFFIUS
Catto-Cassellanus.

Ad diem 15. Decemb: 2. pomeridiana.



ULTRAIECTI;

Ex Officina EGIDI ROMAN, Academia Typographi,
Anno d[omi]ni MDCXL.

V I R O
M A G N I F I C O , N O B I L I S S I M O ,
A M P L I S S I M O ,
D . H E R M A N N O V V O L F F I O ,
S e r e n i s s i m æ R e g i n æ S u e c o r u m , G o -
t h o r u m , a c V a n d a l o r u m &c . C o n -
f i l i a r i o I n t i m o , & ad I l l u s t r i s s i m u m
H a s s i æ L a n d g r a v i u m L e g a t o , P a -
r e n t i O p t i m o :

*In filialis observantia regnorum hanc de
Educatione & Institutione Principum diligenter
dedicat,*

H E N R I C U S L U D O V I C U S W O L F F I U S

Resp.

DISPUTATIO POLITICA

D E

Educatione & Institutione Principum.

THESIS I.

 Hemistoclis Græci Græculus Pædagogus dicere identidem solebat ad alumnū suū: Nihil mediocre futurus es, δούλος! Nam aut Magnum Bonum eris Reipublicæ, aut Magnum Malum: *Plut: in Adag. populi hec: Innuens, à primâ Educatione & Institutione Principis Pueri salutem & perniciem Reipublicæ pendere. Sen: in Cland: Cef: Quod & subicit proverbum, quo dicitur, aut Regem aut Fatum nasci oportere. Erasm: in Adag.*

II.

Quod cùm ita sit, plurimum operæ sumendum in Augustulorum, id est, Puerorum Principum seriatim, tum Educatione, tum Institutione, quoniam ab his, rectè aut secus habentibus, duplex K K, hoc est, & τὸ καλὸν, & τὸ κακὸν Reipublicæ.

III.

De utrâque agemus seorsim & successivè. Quanquam enim ex conjungi debeant in operando, nihil impedit tamen, quominus distinctè proponantur in demonstrando.

IV.

Educatio universè respicit, vel τὸ οὐματικὸν Principis Pueri, vel τὸ φυσικὸν.

V.

Τὸ οὐματικὸν continet τὸ θεστικὸν, Conformationem & Confirmationem tenellorum Membrorum: τὸ διαιτητικὸν, Oeconomiam seu Regi-

Regimen Victus: τὸ καστικὸν, Oeconomiam seu Regimen Cultus:
τὸ γυμναστικὸν, Oeconomiam seu Regimen Exercitiorum.

V I.

To^{τὸ σπαστικὸν} est ex τῷ ὀργανῳ corporis, & suo loco curat, ne luxatum corporis οὐσιάτον, quod nondum bonā fidē coiit, vitium ex inauria capiat: ne quid, verbi gratiā, gibbosum distortumvē in lumbis, brachiis, cruribus surgat, ne caput turritum & acuminatum extet, ne quod impedimentum in linguā teneri alumni adhæreat. Etc: Arist: 7. Pol: 17. Plat: 7 de Leg. Huc faciunt fasciæ, vitre, thoraculi laminei, serperastræ, quorum meminit Orpheus Poëta, cum enumerat Bacchi crepundia, & Varro 8. de Ling: Lat.

V I I.

To^{τὸ διαιτικὸν} positum est in Victu Alumni, qui vitæ coauspicalis & nato connaturalis est Lac. Cūm enim omnia nutriantur iisdem, ex quibus sunt, ut docetur 2 de gen: & corrupt: etiam Infans Augustus his nutritetur, qui aliam quidem ab aliis infantibus affert Personam, sed non Naturam, cum quā proximam inter vesca cognationem habet Lac. Plut: lib. τετραδίς: ἀγωγ. Gal: lib: 1. de san: tuend. Plin: lib: 24. cap: 9. Columel: lib: 7. cap: 12. Non item Vinum, cuius potu abstinebit novus hospes, tum quia id haustum nimis humectat & calefacit, tum quia halitu caput afficit, quod infantibus adhuc molle est. Arist: 7. Pol: 17. Gal: lib: 1. de san: tuend: Qui Vini gratiam his demum facit anno 14. Plato 18, Paulus Aegineta 21, Haliabas 4. Piccart: 7 Pol: 17. Ego temperamenti constitutionem universè magis hic attenden- dam existimem, quam ætatem & annos.

V I I I.

In dubio non dubio quæritur: Maternum ē id esse debeat, an nutrictum? Natura, Ratio, Experiencia pro affirmantibus stant. Non enim frustrā natura binas mammas matribus tribuit, easque lactis copiā mox à partu sollicitā providentiā instruxit. Et cūm terra nativo succo suo alat plantas ex se genitas, bestię item suis uberibus nutriant foetus, cur officium nutricionis ex se natis neget mater, præsertim cum hos sanguine suo in utero inantē aluerit? Neque aliud insinuat ratio. Quia enim temperamentum corporis nondum est in infantibus in esse perfe-cto, sed

etō, sed perfectibili, ideoque instar ceræ mollis omnium impressio-
nem capax, ipsum verò nutritamentum in substantiam rei nutriendæ
per vim plasticam convertatur, periculum, ne usū lactis alieni, à na-
trice suppeditati, totum temperamentum immutetur, quod Tiberio
& Caligulae Impp: accidisse autores sunt, qui horum vitas adorna-
runt. Alter enim per nutricem ebriosam dicitur contraxisse vitium ebriosi-
tatis, alter verò tyrannidem ex nutrice suscisse. Idem quin distat expe-
rientialia. Constat namque lactis materni beneficium tanti meriti fuisse
apud veteres, ut imperaturæ durius quippiam filiis matres, hos per lac,
quod ipsis præbuerant, obsecrarent, nefasque haberetur, nisi exorâ-
fent. Arist: 7. Pol: 17. Agell: lib: 12. cap: 1. Gal: lib: 1. de sanit: tuend.
Tiraquell: de nobil: cap: 20. f. 80. Alex: lib: 2. gen: dier: cap: 25. Ludov:
Viv: de off: Christ: Fem: Tholof: lib: 14. de Rep: cap: 4. Patric: lib: 4.
de Rep: tit: 5.

IX.

Quamvis verò hîc deficere videatur autoritas & propior expe-
rientialia apud Principes atque Illustres Foeminas, quæ officium lacta-
tionis transcribunt matribus secundis, id est, foeminis mercenariis, e-
rubescuntque Nutrices fieri, quæ factæ sunt Matres: Chrysoft: in psal:
50. hom: 1: Tamen cacoëthes hoc, quantumvis adultum, & altè radi-
catum, præjudicare, nec potest, nec debet, vel Naturæ, vel Rationi.
Cuinam enim mulieri dedicori esse possit, utut mores obtineant in
contrarium, lactare filium, quem ex propriis visceribus eduxerit, no-
vemq; integris mensibus plus minusve in penitissimis abditissimis re-
conditissimis uteri recessibus proprio sanguine aluerit? Cic: pro domo
suâ. Et an expectant majorem affectum à nutrice stipendiariâ erga
partum, quam patiuntur ipsæ, cum nulla apud eritias illas pseudo-
matres sit obligatio, nisi ære redemta? Agell. lib: 12. cap: 1.

X.

Casum infirmitatis interim alteriusve necessitatis excipio, quæ non
habet legem, ut ajunt. Ea causâ, & quoniam contingit, ut defundâ
matre, aut uberbis arefactis nutrix necessariâ advocanda sit, censeo
ingenium ejus etiam atque etiam esse considerandum, ut mite sit, com-
positus animus, universaque constitutio corporis æquabilis, ac quoad

Sicri poterit, maternæ consentanea, ut minima immutatio sit in foetu, ne lacte mutato corporis pariter & animi vires, qui corpori devinclus est, debilitentur. Marian: lib: 2. de Reg: & Reg: Inst: cap: 2.

X I.

Enimvero ubi ablactationis tempus appetit, tum vero paulatim ad solidiorem vietus rationem ducendus alumnus. Dico paulatim, ne ipsa mutatio afferat mutationem, quæ ferè semper calamitosa. Atque hic integro iterum cum judicio versandum est, & *τὸν διατίτικον* observandum Medicorum, tum ratione temperamenti & ætatis, tum ratione alimenti, & quidem tam quoad qualitatem, quam quoad quantitatem & molem: maximè omnium autem vitanda *ἐπειδὴ πάτερ τολεντία*, apud *Ιασίην ἀτα μη ἔχοντας*. Plut: in Cat. Clem: lib: 2. Pedagog. Lorich: de Pedagog: Princ: cap: 11.

X II.

Quemadmodum vero hoc omittendum, ita non committendum illud, ut malignè Pueri Principi, quæ ad victimum pertinent, suppeditentur. Non enim debet de cibo, quod faciunt egenorum filii, sed de rebus majoribus cogitare, aliâ omni curâ sublatâ. Marian: lib: 2 de Reg: & Reg: Inst: cap: 4.

X III.

Τὸν κοσμητικὸν cultum Pueri Principis gubernat, qui patrius, tum elegans magis quam mollis & delicatus esse debet. Idem ib. Ferè enim fit, ut ubi cultus magna cura, ibi virtutis magna sit incuria, ut recte arguit Cato Censorinus *apud Ammian: lib: 16*. Atque adeò, quid non adulterio concupiscet, qui in purpuris repit? Qui, cum nondum prima verba exprimit, jam coccum intelligit, jam conchylium poscit? Qui in lexicis crescit, & cùm terram attigerit, è manibus utrinque sustinentium pendet? Quint: lib: 1 Orat: Inst: cap: 2. Breviter: quod de Posthumo Poëta Epigrammatographus:

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthumus, semper:

Posthumus non bene oler, qui bene semper olet: Mart: lib: 2. epigr. 12.

Id in Puerum Principem ritè quadrat, qui debet malle, quam bene oler,

olere, nihil olere. Idem lib: 6. Epigr. 35.

XIV.

To^r γυμναστο^r continet totum Exercitiorum Apparatum: Quo de genere sunt, Agitatio, Circumgestatio, Equitatio in arundine longâ, Cursus, Certamina inter æquales, Lusus Pilæ, Hastiludium, Sagittandi & Iaculandi studium, Pugilatoria, Desultoria, Equitatoria, Nataatoria, Venatoria, Saltatoria: Quorum exercitiorum alia conferunt ad Robur Alumni, alia ad Agilitatem.

XV.

Agitatio domi & in curis peragitur: Circumgestatio ferè foris, atq; in ulnis gerulæ, quam primum etatula fert talem expiationem. Circumferendus namque nunc ad parentes, nunc ad cognatos, nunc in campos, non tantum, quod in perpetuo agat motu, & ut hoc modo calor nativus excitetur, vitiosique humores, quibus plerunque abundat illa ætas, dissipentur, tum adjuvetur concoctio, sed etiam, ut aërem duriusculum mature ferre consuescat, ne corpus adultum postmodum facile lœdatur à frigore. Plat: de Rep.

XVI.

Equitatio in arundine longâ, Certamina inter æquales, proficiente ætate confirmatisque viribus accedunt, atque adeò per vices jam de pernicitate pedum cursu contendet, jam ludicro certamine in justæ pugnæ modum concurret, luctavé certabit. Quod tamen genus exercitiū haud scio an Principi Paeo conveniat. Videtur enim nefas, quamvis joco usurpatum, corpus, quod sanctum haberi debet, irreverenter contrectare, raptare, contorquere, ad terram affliare. Marian: lib: 2 de Reg: & Reg: Inst: cap: 5.

XVII.

Accedit hinc Pilæ lusus, sive in Spæristerio, sive extra illud & sub Dio, genus exercitii in Pueri Principe non improbandum, quia nihil indecori in gestu præbet, sed speciem quandam potius ingenuam præse ferre videtur. Nihil enim fictum, nihil simulatum in se habet, ut pleræque aliæ lusiones: tum agilitatem quandam dexteritatemque corporis præstat, & saltando ac currendo exercet: denique condimentum est molestiarum, & quædam quasi instauratio ad laborem, Patrica. lib: 3.

lib. 3. de Regn. & Reg. Inst. tit. 9. Quod de pilâ dataria , quæ ex-
passa manu aliovè organo innoxio pulsatur, inque lusorem missa ex ad-
verso repulsatur, accipi velim , non item de eâ , quæ pugno aut calce
impellitur, ob brachifragii aut pedifragii periculum.

XVIII.

Succedent Hastiludia, Torneamenta , & Sagittandi ac Iaculandi
experimenta privata , quibus Princeps Tiranculus viriculas suas exer-
cendo periclitetur. *Patric. cit. lib. tit. 5.* Sed & globis è ferreo tubo
flammatâ eluctante ejaculatis signum propositum petere , inter illustria
& principalia exercitia nostris moribus habetur : *Marian. lib. 2. de*
Reg. & Reg. Inst. cap. 5 : Priscis etiam , fundas librare, cujus tamen
studii veniam do nostro, ob inusum ejus & desuetudinem, addo etiam,
incertitudinem summam.

XIX.

Excipient proximè Gladiatura seu Pugilatoria , Desultoria , Equi-
toria , Natatoria , artes usu magis quam professione Regiae , necessa-
rie tamen. Pugilatoria hactenus , ut ruentem in se adversarium arte
magis quam viribus sustinere , premere cedentem , cedere prementi ,
denique se , caput , corpus , vitam , fortunas , si ita forsferat , in arenâ
tueri queat : Desultoria hactenus , ut mihi artificio compendio &
proximâ dexteritate nōrit saltu se in equos è terrâ præcipitare , iner-
mis ferroque tectus , quæ res victis in pugnâ , non gregariis militibus
tantum , sed principibus etiam & ducibus sæpè saluti fuit : *Marian.*
lib. 2 de Reg: & Reg: Inst: cap: 5: Equitaroria hactenus , ut scitè at-
que ex arte vehatur equo. Qui enim ineptè atque indecorè equo
infidet Princeps , primùm ab aliis irridetur , deinde inutilis in pugnâ ad
omnes bellicas actiones habetur , non adversarii ictum sustinere aut ca-
vere satis potest , non hastam suam dirigere , non eam cubito aut ulna
compressa stringere , non equum flectere , non ex eo jaculari , non ar-
cuna tendere , aut quippiam utiliter ac decorè agere , quin parvo ictu
minimâque succussione excutitur : *Patric. lib. 3 de Regn: & Reg: Inst.*
tit: 2: Natatoria hactenus , quid se præsenti periculo & necessitatì nan-
do eripere , ac suis restituere possit , quorum salus ipsius salute contine-
tur. Quia enim hujus exercitii usus homini , non ut aliis animalibus ,
æquæ

æquè familiaris naturā, disciplinā supplere studebit, quod natura ne-
gavit, neque committeret cum Alexandro, ut aliquando necesse habeat
lamentabiliter vociferari: O me deterrium, qui nunquam nare di-
cicerim! *Idem ib: tit: 4.*

XX.

Comes his in turbā exercitiorum ibit Venatoria, studium claris
Principibus gratissimum, & quasi peculiaris quædam exercitatio. Ne-
que immerito. Speciem enim non parvam fortitudinis præse fert, &
similitudinem quandam cum re bellicā tenet. Ducem siquidem sibi
præficit venatio, cuius dicto omnes sunt audientes, hostem excursori-
bus provocat, exploratores in speculis disponit, infidias abdit, apertum
Martern simulat, divortia quæ ad fugam pertinent, observat, per saltus
& arva pedites præmittit, loca plana & aperta equitum alis præcingit,
cornuum strepitu progresui receptuique canit, dat signa prædæ ac vi-
ctoriae &c. *Idem ib: tit: 6. Xenoph: lib: de Venat.* Quin immō ve-
nando Princeps discit quorumcunque situum naturam, ubi montes sur-
gant, valles confidant, planities extendantur, contrahantur aut expli-
centur flumina & paludes. Quæ res dupliciter Principi prodest, tum
quia hæc meditatione situm suæ ditionis callet, tum quia hoc exemplo
in aliorum situum ac regionum notitiam facilius devenit, quæ cogni-
tio, ad exercitus ducentos, stationes eligendas & occupandas plurimum
confert. *Scipio Ammir: disert: Pol: lib: 2. disc: 1.* Quod non item
de Aucupio pronunciaveris, præsertim Accipitrum, quod tamen in
deliciis hodiè, olim non æquè. *Patric: eur: lib: tit: 7.* Sicut nec Pis-
carus, quæ duo studia delectatio commendat, non usus, ad quem utro-
que oculo respiciendum est in educatione Principum.

XX I.

Agmen claudet Saltatoria, quā, si in sussultatione & membrorū agita-
tione nihil aliud spectetur, quām motus corporis artificiosus, & dispo-
sitio saltantis ad numerum ac mensuram, conjuncta cum τῷ εἰ corporis,
præsertim si solitaria fuerit, non magis improbaverim in moribus Pueri
Principis, quām cantum harmonicum seu artificiosum, aliarē exerce-
tia, quæ ad declarandam animi alacritatem adhibentur, & sanitatem

B

corpo.

corporis conservant, idque agile & aptum natum reddunt. *P. M.*
Tyr. Class: 2. cap: 2. Timpl: lib: 3. Est: Gen: cap: 5. q. 8.

X X I.

Cæterū τὸ μέτερν δέσον, ut ubique, ita etiam hīc. Nam qui in his exercitiis modum transgrediuntur, & violenter corpus in tenerā ætate exercent, in reliquā vitā fractis viribus debilitatē valetudine parum proficiunt, arguento, quod qui intra adolescentiæ annos Olympica vicerunt, vix unus & alter ex eo numero potuerunt confirmatā ætate similem in iis certaminibus, palmam reportare. *Marian: lib: 2 de Reg: & Reg: Inst: cap: 5.* Cavenda ergo hīc intemperantia, annitendumque educatoribus, ne exercitationes teneri alumni deforment corpus ejus, frangant vires, impediant augmentationem, denique morum immanitatem ac barbariem inducant, quæ vitia in Spartanorum P^x, dopomiā notat & perstringit Aristoteles 7. *Pol: 4.*

X X I I.

Τοιοῦτον τantum est. Τὸ φυχινὸν continet τὸ θεῖον, Regimen Morum, & τὸ ἀριστεῖον, Regimen Conyversationis.

X X I V.

Τὸ θεῖον, Regimen Morum, Manuductio ad τὸ Καλον αὐτοῦ absolvitur.

X X V.

Manuductio hæc vel Rudis est, vel Exacta & Examinata.

X X VI.

Manuductio Rudis est, quæ dicit ad Semivirtutes. Hæc tencro alumno Pietatis & Probitatis præceptiunculas instillat, inque animulo ejus scintillas & igniculos veræ gloriæ excitat, procul amotis Comœdiarum ac Picturarum turpium spectaculis, quibus ad ejusdem generis imaginationes & cogitationes datur occasio. *Plat: 7. Reb.* Est enim connexio inter hæc ordine, videre turpia, audire turpia, cogitare turpia, proloqui turpia, demam perpetrare turpia, quibus gradibus, atque, ut ita dicam, lineis ad Semivitium pervenit. *Piccart: 7 Pol: 17.*

Manu-

X X V I I .

Manuductio Exacta atque Examinata est , quæ docit ad ipsas Virtutes . Quæ vel Primariae , vel Secundariae .

X X V I I I .

Virtus Primaria Pueri Principis spectat vel Deum , vel Homines .

X X I X .

Virtus Deum spectans Pieras dicitur , quæ nihil aliud , quam rectus de Deo sensus , & rectus ejusdem cultus . Coli coli siquidem postulat , & quidem cultu duplici , Interno & Externo . Ille in animo & ex animo Deo vero preces concipit laudes , grates : Iste hæc eadem per ritus & gestus exprimit , nec male Religio dicitur . Lips: lib: 1. Civ: Dott: cap: 3. Ex his Sapientia præcedit , Religio sequitur , quia prius est Deum scire , consequens colere . Last: lib: 4 Inst: cap: 4. Intelligat ergo Deum Religione , profiteatur etiam Pietate , Sensu vero non persequatur , sed adoret . Hilaris de Trinitate .

X X X .

Virtus homines spectans Probitas audit , quæ nihil aliud , quam recta in moribus & actione omni vita , ex honesti normâ . Lips: lib: 1. Civ: Dott: cap: 6. Estque vel Dirigens , vel Directa . Dirigens Prudentia appellatur , quæ διεγινέται cæterarum virtutum . Ut enim ipsa præscriperit , ita virtutes , & qui iis prædicti sunt , agunt . Arist: 1. Magn: Moral: cap: 35.

X X X I .

Prudentia est virtus , suggestrix intellectum delectumque rerum . Imperaturi propria & unica virtus : Arist: 3 Pol: Cujus parentes Uſus & Memoria , ille ex uisu vel tractatu , hæc ex auditu vel lectu . Lips: lib: 1. Civil: Dott: cap: 8. Dico ex tractatu vel lectu , quia qui consilia ex alienis voculis colligunt , & non suopte corde sed alterius verbo reguntur , illi non animo sed auribus cogitant : Apulej: de Dog: Plat: Neque habent τὸ οὐρα τὸ Λυχνός , quod in Principe requirit Homerius , qui eum inducit τερπον γηρώον oculatissimum : In Iliad: Id quod Sceptro Oculato adumbrarunt Hieroglyptæ . Pierius in Hieroglyphb.

XXXII.

Directa est Iustitia, Fortitudo, & Temperantia.

XXXIII.

Iustitia est virtus, jus & æquum in se inque aliis firmiter servans.
Lipf: lib: 2 Civil: Doct: cap: 10. Hujus proprium, cum unoquoque
sic agere, quasi ipse alterius personam indueris, alter tuam. *Hierocles*
apud Stob: serm: 24. Poëtae Iovi assidere faciunt, cuius discipuli Reges,
quaia quicquid à Iove decernitur, id justè factum censi debet: Non
item, quæ à Regibus, ut adulatoriè interpretatur Anaxarchus Sophi-
sta, quasi quicquid aut qualecunque sit, quod Rex faciat, id justum ex-
istimari debeat, primù ab ipso Rege, deinde à cæteris mortalibus,
quem rectè reprehendit Arianus *de Exped: Alexandri.* Nec minus
rectè atque erectè Antigonus alterum, qui cùm diceret, omnia Regibus
honesta & justa esse: Sunt, per Iovem, inquit, sed Barbarorum duntaxat
Regibus! At nobis ea duntaxat honesta sunt, quæ honesta sunt, & ea
tantum justa, quæ justa sunt. *Plutar: in Apophtheg.* Aurea sententia, di-
gna, quam Puer Princeps semper in memoria codicillis inscriptam
habeat.

XXXIV.

Fortitudo est virtus, quod Prudentia elegit, tanquam honestum,
Iustitia apprehendit tanquam justum, fortiter executioni mandans. Et
ipsa de comitatu virtutum principalium. Quid enim turpius Princi-
pi, quam inter probra audire:

Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,

Illa Virago viri. Cic: 1 Off.

Aut illud tralatitium: Vos instar Thetidum gladium quidem ha-
betis, cor vero nullum: Aut Platonicum istud: Videntes canis oculos
habes, cor vero nullū. *Patric: lib: 7. de Regn: & Reg: Inst.* Quid turpius,
quam propter metum ex eodem ore, quo judicatus Deus invocavit,
quod sentit, non proferre? *Plato ep: 1:* Qui haud aliam ob causam
pueros equis impositos voluit duci ad bellum, sed tempore pugnè in
tuto collocari, ut à tenero, quod dicitur, ungu ad fortitudinem con-
doceat.

docefierent. 7 de Rep. Neq; alid spectavit Romanorum institutum, quando Majorum suorum imagines in atris exposuerunt, ut minores in eas intuentes se componerent ad imitationem majorum. Scilicet,

Et pater Aeneas, & Avunculus excitat Hector! En. 3.

XXXV.

Temperantia est virtus, quæ cupiditates & voluptates Pueri Principis moderatur, quod contineat oculos, ventrem, & quæ sub ventre sunt: *Citat tanquam notum Taubmannus in Bacch: Plaut: act: 4. sc: 9:* Neu inducat animum, alios decere honestè vivere, regibus immodestè vivendi relictam licentiam: *I/socrates ad Nicol:* Cumque omnia possit, sola sibi licere putet laudanda: *Theodahadus apud Cassiod: lib: 10. Var:* Memor Socratis, qui interrogatus, quam vitutem juvenum existimaret? Respondit: *τὸ μηδέποτε γάρ.* *Laert: in vii: ejus.* Nam quid ita? Quia enim optimus cupitorum modus, non quantum velis, sed quantum debeas, sumere: *Plut: in Conv: Sept: Sap.*

XXXVI.

Virtutes Secundariae Pueri Principis sunt: Vigilantia, Fides, Clementia, & Modestia. Ex his Vigilantia subordinatur Prudentia, Fides Iustitia, Clementia Fortitudini, Modestia Temperantia.

XXXVII.

Vigilantia est virtus Pueri Principis, quâ is à teneris sedulò officio suo obeundo advigilat. Cùm enim olim omnium somnos illius vigilantia defendete debeat, omnium oculum illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio: *Sen: Cons: ad Polyb:* Adeoque cum Epaminondâ Thebanô debeat vigilare, quod cives hoc tutius dormiant: *Plutarck: in Epam:* Maturè animus ejus huc componendus est, ut ducat,

Turpe quiete Duceat totas desperdere noctes: Hom: Il. 2:

Atque ut exempla Pertinacis & Severi Imp: sequatur, quorum ille tribuno assignavit symbolum, Militemus hic, Laboremus, *Elias Spar-*
timus;

itan: in Sev. Identidem in memoriam rediens dicti verè Augusti: Imperatorem oportere stantem mori. *Suet: in Vespasiano.*

X X X V I I .

Fides est virtus Pueri Principis, quā id quod à se dictum ac promissum est, promē repräsentat. Effectum, inquam, dicti aut promisi. *Lips: lib: 2. Civil: Dol: cap: 14.* Discat ergo ille mibi, etiam esse fidem, quæ infideli, immō hosti, data sit: *Cic: 3 Off.* Virique boni esse, etiam non pollicitam fidem servare: *Cato:* Adeoque malit sibi successum deesse, quām fidem: *Senec: lib: de mor:* Quæ ut anima, unde abiit, nunquam reddit: *P. Mimus:* Nec magis ludum patitur, quām fama & oculus: *Idem:* Quorum, sicut fidei, irreparabile damnum est. Nam fidem qui perdit, nihil ultra potest perdere. Quanquam fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet: *Senec: cit: iug:* Et per consequens nec Princeps, quem ferrum tuetur, sed melius fides: *Sen: in Odi:* Cujus ædem non immerit Capitolio vicinam Iovis Opt: Max: Romani voluerunt, ut innuerent, nullis magis convenire fidem, quam Principibus. *Cato Censorius:* Quæ si exulareret in toto orbe, apud Principes reperiire deberet hospitium. *Dictum Ludovici XI, Gallia Regis.*

X I L.

Clementia est virtus Pueri Principis, animum ejus à poena aut vindicta ad lenitatem cumi judicio inclinans. *Lips: lib: 2. Civ: Dol: cap: 12.* Homini omnium virtutum convenientissima, quia humanissima: *Idem ib:* Sed quæ nullum tamen ex omnibus magis, quām Regem aut Principem deceat: *Sen: 1. de Clem:* Qui nullarē propiū ad Deum accedit, quām salute hominibus dandā. *Cic: pro Lig. Scilicet,*

Palchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere Patria, parcere afflictis, ferre
Cade abstinere, tempus atque ira dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo:
Hac summa virtus, percutitur hanc cœlum viâ. *Sen: Odi.*

Hanc è Fortitudine educimus, quia rō vixq̄r bav̄lēr waz̄r vñr wpm̄n
n̄ y q̄l̄n: *Plat: 1 de Leg:* Adeoque,
Fortiter

*Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit
Mænia, nec virtus altius ire potest.*

Quid & pictura vetus respicit, quā sceptrum sic repræsentabatur: In summo erat ciconia, clementiae symbolum, in imo efferū animal Hippopotamus, ut si quando in Principe sœviret ira, vel vindictæ cupiditas, hanc clementia desuper compesceret: *Erasm: lib: de Princ: Inst: Quæ suggestit & insinuat, nihil gloriosius esse Principe impunè læso: Sen: 1. de Clem:* Neque huic minus turpia multa supplicia, quam medico multa funera. *Idem ibidem.*

X L.

Modestia est virtus Pueri Principis, quā sibi ipsi ita temperat, ut luxum internum expellat; seu, ratione temperatus, nec actione exultans de se suisque sensus. *Lipj: lib: 2 Civ: Dol: cap: 15.* Virtus cum aliis inculcanda cum curâ, tum Principi vel maximè, quem in alto positum non alta sapere difficile est. *Bernb: in Ep.* Qui propterea, quanto superior est; tanto se gerere debet submissius: *Cic: 1 off: Identidem que cogitare, non minus hominem se, quam hominibus præesse. Plin: Paneg: Usque adeò in imperiis constitutorum magnam habet excellentiam modestia, & nihil supra hominem agere! Diod: Sicul: lib: 25 Bibl: Hist: ecl: 1.*

X L I.

Denique referat mihi proficiente tempore Augustulus noster, in Virtute Trajanum, in gravitate Nervam, in censurâ totius vitæ Antoninum aliquem, aut Valerianum: *Tieb: Poll: o*; Quo de memorabile ad famam, quod cum Romæ deliberatio institueretur, cui censura urbana deferri deberet, cum pro more Prætor edixisset: Quid vobis videtur, P. C. de censore deligendo? Omnes omnes unâ voce acclamarunt: Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet, qui omnibus est melior: Ille de senatu judicet, qui nullum habet crimen: Ille de vitâ nostrâ sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus à primâ pueritiâ censor fuit: Valerianus in totâ vitâ suâ censor fuit: Prudens senator, modestus senator, gravis senator, amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis

VITIORUM.

vitiorum. Hunc censem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus: Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrinā clara, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Idem in Vit: ejus. Ita ita par est vitam instituere: Sic

Qui recte faciet, non qui dominatur, erit Rex: Aus: in Mon.

Quod & Cyro placet apud Xenophontem, qui nulli censem convenire imperium, nisi qui melior esset iis, quibus imperaret. 8. *Cyropaed.*

X L I I .

Tò ὅμιλετικον cæteros Principis mores singit ac pingit: qui corpus quidem afficiunt, atque adeo perficiunt & ipsi, sed non eo modo, quo exercitia, quæ illud habilitant & disponunt tantum extrinsecus, sine respectu ad animum, hi disponunt, & quidem cum relatione ad τὸ ξε-
λονάγαθον secundarium, quod est τὸ περίπονον. Decorum Latinè reddit Cicero: hb: 1. off. Erasmus Civilitatis nomine complexus est, in aureolo illo, & ad verbum ediscendo libello, quem de hac edidit. Inde mihi difeat & perdiscat noster, (Est enim Puerto Princi scriptus & inscriptus:) quomodo se circa corporis compositionem gerere debeat? Quid decori in oculis, superciliis, fronte, naribus, ore, labiis, lingua, dentibus, capite, comæ, cervice, humeris, brachiis, pedibus, ipsique adeo membris, quæ honeste nominari nequeunt? Quid modi in ster-
nutatione, oscitatione, risu, expunctione, tussi, eructatione, frictione, scalptione, confessu, statione, genuflexione, incelsu, gestu? Quæ ra-
tio morum in templo, conviviis, cubiculo, congressibus? Quid mode-
raminis in ludis & lusibus? Qui liciti, qui illiciti? Quæ pars nobis, quia dubitationem patitur, amplius attingenda est. Ac Lusum quidem Chartarum seu Foliorum Lusoriorum quod attinet, si ludendi exerci-
tium magis in eo quam lucrum spectetur, idque ipsum tam exiguum sit, ut nec vietus dolcat amissum, nec victor gaudeat acquisitum, dam-
nandus haud videtur. Hac enim ratione nihil aliud efficitur, quam ut ludentes attentiores sint, animusque insimul exerceatur. *Burgersd: cap: 20 Idea Moral: f. 16.* Quod de eo ludi genere, quod Verkeeren ap-
pellant, totidem quoque verbis dixeris, quod quoniam non tantum in
casu

casu, sed etiam in industria consistit, ocio Augusti donandum. & ceteris ejus recreationibus condonandum est. Sicut & Ludus Schachiae, quem Calculorum, Latronum sive Lattrunculorum, nec non Gemmatum, & absolutè Gemmam vocant, dantes hoc memoriæ Cn: Pompeji, qui in tertio triumpho, quem de Piratis, Asia, Ponto, Gentibus Regibusque egit, talem alveum lusorium transtulit cum calculis tessellisque ex duabus gemmis, latum tres pedes, longum quatuor, calculis ipsis diverso inter se colore discretis. Quanquam enim hunc præter Patrium lib: 3 de Regn: & Reg: Inst: tit: 12, etiam Magnus Magnæ Britanniae Rex Iacobus in Δωρε suo Βασιλικῆ, lib: ejus Operis 3, ex albo Ludorum Regionum expungat. hoc ipso nomine, quod videatur pugnare cum fine ludorum, qui est animi relaxatio, quodque desidiosam cessationem & plusculum ocii requirat, tamen in eo ipsis assentiri nequeo, cùm alias ob causas, tum quia Delirium hoc Philosophicum. (Hoc elogio enim ornat ludicrum hoc dictus Rex:) præterquam quod ingenium exercet, & judicium obacuit, suam quoque habet domesticam recreationem, suum in re militari Metaphoricum & Analogicum usum. Circa Aleam hoc libentius cum Patricio facio, sive in premium, quod semper apud cordatos turpe judicatum fuit, ludatur, sive non, partim quia in casu solo consistit hic ludus, victoria autem non debet delectare Principem, quam solus casus dedit, partim quia non exercet ludentes, ne que justam habet delectationis causam, cùm sensus non capiat voluptatem sinceram ex ejus actione. Burger/d: cap: 20 Idea Moral: Phil: f. 17. Est enim omnis aleator semper anxius, semper querulus, iracundus, morosus, difficultis, incestus: vixus pro damno miceret, & quo se pacto redimat, meditatur, ultionemque affectat: victor vero insanit, exultat, majorique lucro inhiat, se ipsum torquet, alios verò odit, neque unquam insatiabilem alez voraginem explet. Patric: lib: 3. de Regn: & Reg: Inst: tit: 10.

XLIII.

Sed caput scilicet est Conversatio, cuius hic ratio habenda cumpromis. Trahuntur enim à conversantibus mores in utramque partem. Senec: lib: 3. de Irâ. Atque ut aromata odorem semper affrictant tangentem: Sic boni & modesti auram aliquam virtutis. Lips: contr: 1. ep:

28. Iterum ; ut quedam in contactis virtutia transiliunt , ita animus mala
sua proximis tradit : Ebriosus convictores in amorem vini trahit , im-
puudicorum cœtus fortem et si licet virum emollit , avaritia in proximos
virus suum transtulit . *Sene: cit: lxx.* Ut ita , si quis malorum gaudet
commerciali , rogare , qualis ipse sit , nihil sit opus . Nam quisque simi-
lis est sodalitiu*m* sui . *Eurip: in Phœn: Nimirum.*

*Si quis malorum se aggregat confortio,
Non quaro, qualis ille, sed novi statim,
Quales amici, quævis adhæret, talis est.*

Citat Diod: Sicul: lib:

12 Biblioth: se&t: 14.

Quod cùm ita sit , etiam atque etiam videndum , ne tenella ac flexani-
ma ætas alumni , quæ primo errorem cum lacte bibit , contagio aliquo
inficiatur . Cavebitur autem , si adjungantur ei nutrices , gerulæ , ancil-
le , vernulæ probi moris , si dentur comites ex universâ nobilitate selec-
ti , in quibus indoles virtutum eluceat , si plerique procerum filii , qui
sunt spectatis moribus , cum eo coëducantur , more Ægyptiis Mace-
donibus & Gothis non infamiali : *Marian: lib: 2 de Reg: & Reg: In-
fisi: cap: 9:* Et quidem ex omnibus nationibus , quâm latè patet impe-
rium , ut ita Puer Princeps frequenti usu nullo labore omnium gen-
tium instituta & linguas condiscat , dum quisq; maternâ linguâ coram
Principe Puer loquitur . *Idem ib: dē.* Quo tamè loco sollicitâ diligentia
curandum Educatoribus , ne ad Pueri Principis familiaritatem admittan-
tur , qui non valent pronunciatione , aut cum Doribus habent ~~πλα-~~
~~τισουταν~~ , vel etiam per blanditias & jocos balbutiem teneri alumni adulato-
riè imitantur . Unde enim rectè discet loqui , si neminem dextre & masculè pronunciantem audierit ? *Piccart: lib: 7. Pol: cap: 17.*
Nec minori , ne quis arte , aut ingenii similitudine , aut vitiorum com-
munione se præ cæteris in gratiam Pueri Principis insinuet , omnium
arcanorum particeps & arbiter . Ab his enim initiis suscepta familia-
ritas , confirmatâ accedente ætate , turbas excitare solet . *Idem cit: lib:
& cap.* Nominatim autem à consuetudine Augusti arcendi Lenones &
Adulatores , servum pecus , quos opum vermes Anaxilaus , ~~τερπτερο-~~
~~ης~~ , mensatum tonsores Phocylides , grassatores Festus , tineas & lo-
riceos

rices palatii Constantinus appellat: Quod & Poëta subjicit, versibus
aurichal co cont r non caris:

*Nil fædum dictu visu' ea limina tangat,
Intra quæ puer est: Procul hinc procul ite puella
Lenonum, & catus pernoctanis parasiti.
Maxima debetur pueru reverentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contemseris annos. Iuv:Sat:14.*

Neutri in regno benè morato tolerandi: *Herodot: lib: 8: Nedum cir-
ca Principes, quibus nunquam conversatio hominum deest, vitia co-
tum assentatione alentium. Etenim semper magnæ fortunæ comes est
adulatio. Vell: Pat: lib: 22 cap: 102. Vide etiam atque etiam Marianam
lib: 2. de Reg: & Reg: Inst: cap: 11. Et queritur adhuc, (verba sunt
Vopisci,) quæ res malos Principes faciat? Caligulas, Nerones, Vitel-
lios, Maximinos, Heliogabalos? Iam primum nimia licentia, deinde re-
rum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi ava-
rissimi, aulici vel stulti vel detestabiles &c: Ut benè dictum sit à quo-
dam mimico scurrâ, Claudi Divi temporibus, in uno annulo posse
perscribi atque depingi. Idem Ibidem.*

X L I V.

Atque hæc de Educatione dixisse sufficiat: Institutio succedit, cui
prior illa viam parat, lapidibus, hoc est, impedimentis ordinate insti-
tutionis sublatiis,

X L V.

Institutio hæc vel Prima est, vel Secunda.

X L VI.

Institutio Prima est, quæ dicitur Infantilis. Hæc nec nulla, nec ad-
modum magna esse debet in illâ æstatulâ. Non nulla: Quoniam præ-
stat infantes aliiquid facere, quia quiescere nequeunt. Quid autem
melius facient, ex quo loqui poterunt, quam si discant? Quamvis enim
parum sit, quod discunt, tamen aliiquid semper discunt, & hæc per sin-
gulos annos prorogata in summum proficiunt, & quantum in infantâ
est temporis præfumtum, adolescentię acquiritur, præsertim cum li-

terarum initia solā memoriā constent, quæ non modò jam est in parvis, sed etiam est tenacissima. Et cùm membra horum dirigantur sollicitè, ne in obliquum curventur, quām primum editi sunt, quidni animis eorum per cura adhibeatur, dum adhuc molles sunt, atque ad omnem institutionem fingi possunt? *Quint: lib: 1. Orat: Inst: cap: 1.* Atque hoc hic respexit scilicet Chrysippus, qui licet triennium nutricibus daret in teneri nutricii seu alumni educatione, tamen ab illis quoque jam tum formandos quām optimis institutis infantum mores censuit. *Junius quest: Pol: 40.* Neque aliò oculos flexit Aristoteles, dum nutriculis autor est, ut fabellis ac narratiunculis parvulos detineant, accommodatis instituto vitæ, quod aliquando de suorum consilio sequi debent, non tantum, ut si paulatim præparentur futuro vitæ generi, sed etiam, ut inde colligi possit indoles & ingenium. Nam qui cupidè & ardenter audiunt fabellas, eos certum est esse εὐγενέστεροι καὶ εὐφυέστεροι: Stipites & stupidos contrà, qui his ministris capiuntur. *7. Pol: 7.* Non admodum magna: Quoniam bis perniciōsum est, tenebam ætatem statim fatigari instituendi molestiā, multoque discendi labore onerari. Atqui & aratores & domitores equorum equuleis suis & juvenis parcer videmus, vinitores item novellis vitibus, quas non multū extendent ad vina producenda antè, quām in stirpem solidiorem excreverint, ne vis earum in ipso semine evanescat. *Vegius lib: 2. de Pueri Educ: cap: 2:* Discat mihi ergo aliquid Augustulus noster, dum nihil aliud Augusto dignum agere potest: *Patris: lib: 2 de Regis: & Reg: Just: tit: 13:* Unversē tamen interim magis sit spectator eorum, quæ mox percepturus est, quām autor & actor: *Iunius quest: Pol: 40:* Neque ultra lectiunculam & scriptiunculam, vocabula item & sententioſas, τὰ λεξικά, inquam, & γνωμολογικά, grandius quid sapiat primo septenno.

X L V I I .

Institutio Secunda vel Puerilis est, vel Juvenilis.

X L V I I I .

Institutio Puerilis Objectum habet Artes. Quæ vel Orationis, vel Rerum: Illæ Logicæ, hæ Mathematicæ.

Artes

XIL.

Artes Logicæ sunt: Grammatica, Rhetorica, & Logica præcisè sumta.

L.

Grammatica ei conferet sermonis & scriptionis congruitatem, facultatemque loquendi. Quam ut consequatur, plurimum operę ponet in sermocinando & scribendo, quò usū quodam quotidiano Lingua Latina ipsi familiaris nativæ adinstar efficiatur. Sed & legere expeditè quodvis scripturæ genus, non elegantis tantum, verùm etiam distortę & vacillantis, ipflosque adē literarum nexus & compendia cognoscere discet, ne quando opus habeat alieno præsidio ad legendas literas, & actionum formulas, quæ ex omnibus egni partibus afferuntur, quæ res arcans continendis salutaris cumprimis. *Marian: de Reg: Inst: lib: 2. cap: 6.*

L I.

Rhetorica ei conferet sermonis & scriptionis seu stili elegantiam, facultatemque dicendi. Hanc ipsam autem consequetur legendis bus autoribus, tam Prosaicis quam Metricis. Neque enim à Poëtis mihi abhorrebit, saltem castioribus & castigatoribus. Multum ergo scribet & multa in hoc genere, epistolas, orationes, chrias, quod si ingenium & ocium suppetat, etiam carmina: singula colo & commate distinguere nōrit: Literas maiusculas suis locis adhibere: Etc. Nihil enim in hac ætate negligendum est, quod consequentibus annis emendari non possit. *Idem ib: & cap: 8.*

L II.

Logica ei conferet sermonis & scriptionis perspicuitatem, facultatemque disputandi, non ut importunam loquacitatem Sophistarum imitetur, clametque & insaniat inter æquales, sed ut in deliberationibus verum à falso discernere, licet rebus obscuris afferre, consusa modo & ordine collocare, mendacium & vanitatem refellere, sententiam validis argumentis confirmare, adversarii rationes elidere, denique compendio fidem facere, atque sine errore ad architectonicum, id est, ultimum consiliorum scopum collineare queat. *Idem ibidem.*

L III.

Artes Mathematicæ sunt : Musica, Arithmetica, Geometria, Astro-nomia.

L IV.

Musices studiū Puero Principi si non colendū inter prima, saltem nō omissū posthabendū videtur, non tantum ut animum à labore recreet, naturævé vehementiā leniat, sed etiam ut ex hujus modulis intelligat, florentem atq; beatum Reipublicę statum in modestiā & æquabilitate consistere. Tria tamen h̄c vitia ei fugienda diligenter sunt. Primum, ne dum voluptatem conjectatur, animi concentū dissolvat, turpitudine verborum modisvē in lasciviam & petulantiam fractis. Deinde, ne tantum operæ in hoc studio ponat, ut aliarum artium oblitus videatur, quibus Rēpublicam aliquando administrare debet. Demum, ut aliis canentibus aut pulsantibus oblectationem capiat potius, ipse hujus verd artis majori usū peritiavē abstineat. Neque enim de nihilo est, quod Iupiter Summus nunquam cantare singitur, aut chelyn plectro manuvē pulsare. Neq; etiam prætereundum nobilis cantoris nobile dictum ad nobilem Regem Philippū, de solertissimā Musices ratione disputatē: Nunquā Dii, o Rex, tibi tantū mali faciant, ut tu me cauēdi arte vincas. Saltem me autore nunquam inflabit tubas aut tibi bias, quas quæ invenit, Minerva, perspecta oris deformitate abjecisse dicitur. Ac ne canet quidem ipse temerè coram aliis, sed remoris arbitris, aut inter paucos domesticos. Sed nec fidibus mibi ludet, & omnino manu plectroyē vel citharam pulsabit, aliudvē gregarium instrumentum musi cūm tractabit. Testudineminde excipio, cuius usus à Prin. ipsi dignitate non alienus esse videtur. Vide Marianam lib: 2 de Reg: & Reg: Inst: cap: 7, Patric: de Regn: & Reg: Inst: lib: 2, tit: 15.

L V.

Sicut nec Numerandi Scientia, (Arithmeticam vocant) quæ Principi non tantum utilis, sed etiam pernecessaria. Quomodo enim exercitum in bello recensēbit? Quo ordine castra locabit? Aut quā ratione pro numero militum aciem instruet, subsidiisque firmabit? Præmia quomodo pro meritis dabit atque distribuet, hujus artis cognitione destitutus? Iam vero in pace quam rationem vestigium habebit
is, qui

is, qui numerandi scientiam non callet? *Marian: cit: lib: cap: 8.* Pla-
cet ergo in hāc numerorum disciplinā Principem non esse rudem, aut
delicati fastidii: Sed paucis ut in eā laboret bortor, & quæstoribus, ar-
gentariis, institutoribus majorem diligentiam relinquat. *Patric: cit: lib:*
tit: 13.

L VI.

Idem de Mensurandi Scientiā, quæ Geometria dicitur, judicium,
quæ haud scio annon magis etiam necessaria Principi, præsertim si
Geographia, Chorographia, Topographia, Architectura comites ac-
cesserint. Ex his enim omnis dimentio & delcriptio regionum, territo-
riorum, locorum & locatorum, ædificiorum, templorum, arcium, navium,
reliquarumq; rerū sumitur. Quin ministra & pedissequa est rei mili-
taris. Nam machine, balistæ, tormenta, ad propugnandum oppugnan-
dumque idonea, ex hāc disciplinā maximè profiscuntur: *Idem tit:*
14. Quæ in pontibus subitario opere jungendis, vineis pluteis que ex-
truendis, dimetiendis agris, constituendis in quincuncem arboribus,
in incrustatione, loratione, cælaturā utilē operam præstat Princi-
pi. Quanquam enim artificum opus sit, hæc omnia præstare, si tamen
de singulis dijudicare ipse Princeps possit, næ magnum præsidium ad
statuendum, quid in rem sit, comparatum habebit. *Marian: Ibidem.*

L VII.

Quid de Astronomiâ? An patiemur Principec tam præclarę artis
cognitione destituī? Neque enim mediocris utilitas ex cœli contem-
platione capit, quā sit animus erexitior ac moderatior. Qui enim
rerum cœlestium amplitudinem animo lustrat, quæcunque in terris vi-
dentur magna, contemnit, & qui definitos siderum cursus attente con-
templatur, ad divinæ sapientiæ admirationem assurgit. Atque hinc
pietas cultusque suscipitur animo religionis sanctissimæ, confirmaturq;
persuasio, esse numen, quo omnis natura constituta sit & gubernetur.
Ib. Ergo Principec cœli quoque plagæ familiariter notæ sint, non ter-
ræ tantum, rudimentaque hujus disciplinæ perspecta, quorum ignora-
tione turpissimè sœpè offenditur, ut vel unum Nicię Atheniensis ex-
emplum fidem facere potest: *Patric: lib: 2. de Regn: & Reg: Inst: tit: 16:*
Sed hactenus scilicet cœlum scrutabitur, ne plus tribuat astris, quām
ipſis.

ip̄is tribuit eorum Princeps: Id quod faciunt maleferiati Astrologi & Genethliaci, à quorum consuetudine & conversatione, si me audiet, sibi temperabit. Atque hæc studia tractabit altero Septennio.

L VIII.

Institutio Iuvenilis, quam in tertium Septennium rejicimus, Objetum habet Disciplinas & Facultates.

L IX.

Disciplinarum nomine venit παιδία Platonica, ad quam hactenus recensitæ artes, quas ποτε παιδίας nomine indiget idem, viam qua si sternunt, tanquam famulæ & ministræ. Snellius Proleg: in Cornel: Val: Phys: Inst.

L X.

Παιδία hæc studio Naturali & Morali absolvitur: Quorum illud Theoreticum, Physica alio nomine, hoc Practicum, Ethica alio nomina. Utrumque Alumnum nostrum quasi manu ducit ac deducit ad τὸ γνῶθι σαυτὸν, ad Cognitionem Sui, tum Naturalem, tum Moralem. Cujus præcepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cipiā, sed Delphico Deo tribueretur. Nam qui se ipsum nōrit, primum se habere sentiet aliquid divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, putabit, tantoque munere Dei semper aliquid dignum, & faciet, & sentiet. Cic: 1, de Leg: Præsertim Homo Princeps, qui lampada debet præferre aliis, quo consilio veteres recens electo magistratui faces ardentes prætulerunt, ut cæteris virtutis & æquitatis splendore prælucere nōset. Paradinus in Sym: Heroic. Ea quippe Principum conditio est, ut, quicquid faciunt, præcipere videantur: Quintil: Declam: 4: Et rectè facere cives suos faciendo doceant. Vell: Pat: lib: 2. Qualcs enim in Republicā Principes, tales reliqui solet esse cives: Cic: in ep. Scilicet

— Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic infletere sensus
Humanos edicta valent, ac vita Regentum! Claudio de 4.
Consul: Hon:

Faciliusque, si dicere fas, errare naturam, quam ut dissimilem sui
Princeps

Princeps possit formare Rempublicam. *Verba Regis Theodorici ad Senatum apud Cassiodorum lib: 3. Var: ep: 12.* Quare, si recte laudabiliterque Rempublicam gerere instituat, virtus ei cum civibus communica est. *Plato.*

L X I.

Studii Moralis Partes Speciales duæ: Oeconomica & Politica, quærum altera tradit rationem constituendæ & administrandæ Familia, altera Reipublicæ. Ultraque necessaria Principi, quia rō eū Reipublicæ continetur ērō eū Familia. *Quis enim in coeno fontem requirat?* *Quis de turbidâ aquâ potum petat?* *Quis utilem judicet Reipublicæ,* quem videt esse inutilem vitæ suæ & Familia. *Ambros: lib: 2 de off.* Sed altera tamen magis, quia rūs πολιτικῆς ἀνθεπονητῆς καταταὶ τελειοτέχνης. *Plut: Cat. Maj:* Nullaque laudabilior Philosophiæ pars, quā agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promovere & exercere justitiam, quæque Philosophi doceant, in usu habere. *Plin: ep: 2.* Addo & difficilior. Est enim omnino ars difficilis, Rempublicam recte regere: *Cic: lib: 7 ad Attic:* Nihilque difficilius, quām bene imperare. *Flavius Vopiscus in Aureliano:* Adeò, ut excellentibus ingeniis citius defuerit ars, quā civem regant, quām quā hostem superent. *Liv: lib: 2. cap: 43:* Quia nullum animal homine morosius, nullum majori arte tractandum: *Senec: 1 de Clem:* Omnibusque animalibus facilius, quām hominibus, imperare. *Xenoph: 1. Cyropæd.* Nimirum ut bubulcis in boves, sic equariis in equos, adeoque omnibus, quos pastores dicimus, illæc in animalia, quibus præsunt, non abs revidetur imperium esse. Enimvero videre est, greges hos omnes lubentius pastoribus suis parere, quām homines magistratibus. Pergunt enim greges, quoconque pastores dirigunt, atque ut in locis pastura querunt, in quæ illi loca immittunt, sic ab iis abstinent, à quibus arcuntur. Quin etiam fructibus, qui ex eis proveniunt, uti pastores prælibitu sinunt, neque unquam accepimus, ullum gregem adversus pastores coivisse, quod vel minus eis pareret, vel eos uti fructu non permetteret: Inmodum quibusvis aliis infestiores sunt greges, quām iis, qui & imperium in eos habent, & emolumenta ex eis capiunt, cùm homines in nullos majori coëant impetu, quām quos in se regnum affectare sentiunt.

tiunt. Hæc cùm apud animum nostrum expenderemus, ita de his arbitrabamur, ait Xenophon, ut homini nato facilius existimaremus esse, quibus vñ animantibus aliis, quām hominibus, imperare. *Cit: loc.* Auget difficultatem ipsa disciplinæ amplitudo, quæ ab universalibus valde recedit ad singularia. Quo sit, ut materiæ ejus sint plures & copiosiores, methodusq; difficilior, quām aliarū disciplinarum. *Keckerm: in Polst.* Quare, ut difficultas hæc Principi condimento aliqua leniatur, in subsidium vocanda evocanda Historia, quæ Politica Exemplaris, ut inde per compendium, quod imitetur, capiat, inde foedum incepturn, foedum exitu, quod viter. *Liv: lib: 1.* Hic siquidem sine labore reperiet, quæ alii cum labore collegerunt, bonorum virtutes, improborum vitia, vitæ humanæ variæ mutationes, & rerum in eâ conversiones, mundi hujus instabilitatem, & imperiorum præcipites casus, atque, ut verbo complectar, malorum facinorum poenas, & bonorum præmia, quorum illa fugiet, ne in divinæ justitiae manus incidat, hæc amplectetur, ut præmis, quæ ea comitantur, potiatur. *Basilus Imp: in lib: quem Kaschala tractavimus inscripsit.*

LXII.

Facultatum nomine veniunt, Theologia, Iurisprudentia, & Medicina.

LXIII.

In Theologiâ mibi non tantum tenebit Thesin, seu id, quod Reatum atque Album est, sed etiam Antithesin, seu id, quod Curvum atque Atrum est in isto studii genere: cum Orthodoxiâ, inquam, Heterodoxiam, præsertim quoad controversias famosiores, quæ fervent in eâ Republicâ, cuius ipse futurus est caput. In Iuris Scientiâ sufficerit generalis cognitio juris ac legum, quanta cadere potest aut debet in Principem, ne sit Saul, quod ajunt, inter Prophetas. Medicinæ studium Hippocratis & Galeni discipulis remittimus.

LXIV.

Educationi & Institutioni sub exitum tertii septennii coronidem imponet Peregrinatio, conjuncta cum studio Cosmographico: Ex qua redux rectâ ad Conjugium transbit & Imperium, cui natus ac destinatus est.

FINIS.

Corolla-

Corollaria Anti-Machiavellica.

I.

An Princeps debeat esse iuris? Id est, An debeat id operam dare, quā ratione posse esse non bonus?

II.

An Vulpis aut Leonis mores assumere, atque ad omnem ventorum & fortunae conversionem versatile ingenium circumferre?

III.

An præ se ferre ac præferre Religionem, Pietatem, Fidem, Integritatem, Humanitatem?

IV.

An studere Imperio indifferenter?

V.

Satisné sit, Principem metui, quam diligi?

VI.

An Princeps ea, quæ per vim coactus promisi, bona fide posse revertitare, cessante vi, quæ prius cogebat?

VII.

An idem præstare virtus suis, quod alius virtutibus?

VIII.

An Princeps aliquis, antiquam Reipublicæ formam

mam innovaturus , aliterque informatus , recte
umbram antiquarum legum recineat ?

Affirmativa tuetur Machiavellus in Principe suo &
Discursibus de Rep: Nos Adversativam.

Corollaria Respondentis.

I.

An Princeps in Peregrinatione Peregrinis Sa-
cris salvâ conscientiâ interesse , Ritibusq; Su-
perstitionis Romanensium cohabitare possit? Neg.

II.

An ex Peregrinatione redux ducere uxorem dispa-
ris Religionis, nominatim Paganam aut Papanam?
Neg.

III.

An loco movere Antecessoris Sui Consiliarios &
Ministros, nullo crimen privato aut publico infames
& infamatos? Neg.

IV.

An Majorum Statuta & sanctiones antiquare?
Dist.

HONORI

HONORI NOBILISSIMI
Dn RESPONDENTIS.

Principum regunda vita nobili modo viris,
Quos è favor Poli provexit, & Parentium
Cura Principalis his pueriæ dedit duces;
Mille lectos è virorum cœribus, prudentia
Laude claros, eruditionis integros gravis,
Ungue de tenello ad hancce remque factos affabre.
Pendet inde cuncta, nā! Salus, & omne civium
Commodum, cui relinquitur locus semper suns.
Ille primus est; nec ullus exstigit Princeps bonus,
Qui movere limitem Boni sit ausus publici:
Priva vita cui voluptas aut voluntes fit magis
Aestimanda. Patriæ Pater vocarier cupit,
Filioque Patriæ lubenter imputat suos,
Patriæ cuicunque prima cura & antiquissima.
Educationis esse filialis assoler
Altera illi, quæ prioris audiat suppar licet.
Tanta vis est ejus, ut vis insita indoli foras
Exeat per illius fidele robur. WOLFFIVS,
En! vetera gente clarus, Patriisque honoribus
Celsus

Celsus, emulusque doctis, atque jam cupidine
Concitatrus hæc sciendi cuncta : magno Præside,
Qui bona magister mentis hoc opus peregit , &
Laurea donatus offert publico Spartam suam ,
Nuper ornatam sibi : proponit, atque protegit,
Instar athletæ boni, nec quem timetis, acriter
Irruentum at proterentis impetum adversariūm,
Actiones serias, & ludicas, Augustulos
Iusque fasque queis sit occupare sese, donicum
Hos juventa firmet annis, viribusque corporis,
Indolis gressuque mens vigescat, ac sacros Deos
Summa curarum, atque poscat Patria Salus sibi.

L. M. Q.

Posuit Hospes

ABRAHAMUS BOCSTADIUS.

